



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt II. Quam damnosa sit mortalibus auaritia, & indulgentia
confessariorum, in Italo foeneratore monstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

Ma. 58. 1.

Matth. 25. 41.

biâ, ebrietatis, blasphemiarum, luxuriarum, vt mirum non esset, si, ob illa sola, totum Mundum perderet iustus iudex. Quid ergo miramur, si è cathedra fulminat Ecclesiastes? cui dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo mea scelerum eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Si mihi, si mei similibus contingit, quod Eremitæ contigit; verendum est, ne Deus ad vltima veniat remedia, ne fulmen vibret; ne excindat impietatem; & fortasse jam res in eo est. Nam & sua bellis fulmina esse, *Scipiada* docuerunt. Nonne audistis tonitrua, nonne fulgura micuerunt? Fulmen vicinum expectatis? Nec illud deerit. Vel per hoc finite à peccatis, à consuetudine mala, vos deterreri, & ad pœnitentiam tandem vnusquisque confugiat. Quantò quisque vehementius de Deo offenso dolebit, tantò citius tempestas hæc desæuiet. Quòd si qui sunt ipso *Alfonso* obstinatioris, & neque vestibis suis, & amicis suis, & operibus suis amissis, respiscunt, aut ad pœnitentiam confugiunt, expectent vltimum illud, & omnium terribilissimum fulmen. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

CAPVT II.

QVAM DAMNOSA SIT MORTALIBVS AVARITIA, ET INDVLGENTIA CONFESSARIORVM, IN ITALO

FOENERATORE MONSTRATVR.

I.
HISTORIAE
AVTHORITAS.



Philipp. Ale.
gambe in Bi-
bliotheca
scriptor, Soc.
IESV.

IOANNES Lorinus, natione Gallus, annos XVI. natus, Societatem IESV ingressus, ita in virtute ac litteris profecit, vt Philosophiam Romæ, Theologiam & litteras sacras Lutetiæ, Mediolani, Romæ, cum magna laude doceret; Commentarios in Sacram scripturam adeò doctos ederet, vt eum hæretici ipsi de eruditione summo opere commendarent, & recens scriptor Henricus Fitzsimon, in Britannomachia appellaret, *Alterum Longinum, Cassium; legendi assiduitate spirantem quandam Bibliothecam; Ambulans Musæum, & inter scriptores solertissimos accuratissimum.* De cuius pietate complura recenset alius author. Quare magnæ & à virtute, & à scientijs est authoritatis testimonium illius. Quod, in narranda mox historia tres inuenio insignes viros citauisse, Primus fuit Societatis

Societatis nostræ Sacerdos, qui historiam hanc, Bruxellæ coram Serenissimo Alberto Austriae Archiduce & Isabella, in Belgio, pro concione publicè recitauit, affirmavitque, se eam ex ore P. Ioannis Lorini audiuisse, Lorinumque sanctè asseruisse, se optimè & personam, & locum nosse, sed non nominare, ne familiarum honor bonumque gentis nomen violetur. Alter est Iacobus Marchantius & Theologiae Professor, & Concionator celebris, qui eandem historiam suis lucubrationibus inseruit. Tertius est Philippus Doulterman, breuis, clarus & neruosus scriptor, qui illam ipsam historiam retulit in suum Pædagogum Christianum. Est autem talis, quæ meritò superiùs de Alfonsi regis fastu recitatae subijciatur, quia, vt Salustius in Catilinaria ait, *pecunia imperij, libido sunt quasi materies omnium malorum. Namq; auaritia fidem, probitatem, ceterasq; bonas artes subuertit: proq; his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Quoniam igitur *natura mortalium auida est imperij, & praeceptis ad explendam animi cupiditatem, vt idem in Iugurtha testatur historicus, operæ pretium erit damnum illius in exemplo ostendere.*

In Italia, tempore P. Ioan. Lorini, qui primum anno 1634. Dolæ defunctus est, quidam nobili genere oriundus, albæ, vt aiunt gallinæ filius, à parentibus, vt fit, delicatè educatus, in spem posteritatis creuit, &, ne serò malitiam disceret, à puero assuevit vanitati. Sicut enim simiæ simiolos, quos habent charissimos, ita perditè amant, vt eos arctissimè amplexantes comprimentesque occidant; sic plerumque parentes prolem, quam nimis, & vsque ad insaniam diligunt, perdunt. Stultæ enim matres existimant, à se non amari liberos, nisi illis omnia indulgeant. Quidquid optimi est in mensa, quidquid in penu gulæ arridet, id omne filijs, & quacunque horâ, tempestiuè intempestiuèque ingerunt, sine modo, sine mensura. Et, qui parentes pauperi ne detritum quidem calceum donare præ auaritia audent, filiolos suos purpura atque auro amiciunt. E cunis ad epulas & comotationes iubent eos apportari; &, cum adhuc pedibus non possunt consistere, jam debent nutricis manibus sustentati, ad musicam & numeros, saltare. At, cum quispiam interrogat, num jam quadrimi Deum orare possint? nimis esse adhuc teneri dicuntur. Neque, cum fiunt adolescentiores, & gustare incipiunt

Iacobus Marchantius in Candelabro mystico tract. 5. de 2. impedimento Confessionis. Philipp. Doulter. in Pædagogo Christiano part. 2. c. 15. §. 2.

II.
PRAVA INVENTVTIS
EDVCATIO.

piunt suauitatem litterarum, permittuntur in eas seriò incumbere, ne cerebrum fatigent, aut studiorum nimio labore caput frangant. At caput non frangunt, cum duas, tresque noctes continuas peruigilant, atque inter pocula & choreas præ lassitudine concidunt. Ite, mei parentes, & de nimia filiorum libertate, de licentia morum, de profusione pecuniarum conquerimini; tales habetis, quales uoluitis; qualis & iste Nobilis fuit, qui, quando ad maturam ætatem peruenit, & jam sui iuris plenè esse cœpit; tum verò multò magis indolem suam exeruit: nequaquam cochleæ vita contentus, aut frugali mensa, otiari, ludere, epulari, magnis pretijs vestiri, choros instituere & choreas, munera missitare puellis, quin & vxoratis; & quidquid lasciua amat, id facere, id dies noctesque cogitare cœpit: multòque postea magis, quando vxorem & familiam duxit. Sed non sine causa dixit Christus: *Va vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram*: qui editis, qui bibitis, qui luditis, qui genio vestro indulgetis, qui *cenas dubias*, qui *populares* quæritis; esurietis enim & sitietis, & plorabitis. *Dei diuites sunt*, ait Comicus, *deos decet opulentia, & factiones*: nos *homunculi sumus salillum animæ, quàm cum extemplo amisimus, æquè mendicus, atque ille opulentissimus censetur ad Acherontem mortuus*. Quid pompa morituro? quid Attalica vestis, & conscientia verminosa? cur venter vnus absumit, quod sufficeret tribus?

LUC. 6. 24.

III.

AVARITIA
VSVRÆ MA-
TER.

S. Tom. 2.2. q.
118. 2.1. S. Au-
gustin. l. 7. de
lib. arb. Cic.
4. Tusc. Boët.
l. 2. de Con-
sol. met. 5.

Hæc res sine pecunia non sit. Omnia pretijs suis constant. Vbi ergo vel pecuniæ nihil, vel nimis parum est, & deliciae tamen pompæque appetuntur, argentum est, per artes, faciendum, vt lacunæ expleantur. Quas Nobilis iste artes, præ ceteris rebus cunctis, optimè nouerat. Vultis, ô lari hiantes, vultis vultures, ab illo artes has discere? aut potius artes vestras in illo agnoscere? Auaritia enim eas, nullo alio magistro adhibito, satis docet. Est etenim *auaritia immoderatus amor habendi*, vt S. Thomas docet; immo, vt D. Augustinus loquitur, *est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonestæ cupido*; seu *opinio vehemens de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit, inbarens & penitus infusa*; quæ excedit in amando, acquirendo, & retinendo, sed deficit in dando. Quo pacto non vnum de septè, sed generale peccatum est, speciale opes respicit, & ab Aristotele & Græcis ceteris *Philargyria* solet nominari. *Grande malum est*

est auaritia, ait S. Ambrosius, immo malorum omnium est origo, sicut ait Apostolus, radix autem omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Vides ergo, quia, qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurũ redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingenijs: non videt, quæ diuinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt. Et nonnulli quidem, quibuscunque modis possunt, aliorum bonis insidiantur, quia lucri bonus est odor ex re qualibet: siue fraudulentis emtionibus, siue vsuris, siue furtis, siue rapinis opes congerant, perinde illis est, qui se semel Dæ Furinæ consecrauerunt; in illis enim *sciuor ignibus Aetna Feruens amor ardet habendi*. Charybdes facit omnia absorbentes: gryphes facit auro incubantes: scarabæis similes facit. Ut enim illi ad stercoreum, ita auari ad lucri odorem confluunt omnem. Alij tamen in genere tantum certo, auaritiam exercent, dum vel tondent, vel deglubunt gregem, vel vsuras exercent, vel clepunt piceatis manibus. Quemadmodum igitur hirundo muscas in aëre, aranea reti capit; ita quidam alios in campo rapinarum violentiã, quidam per occultas fraudes domi inuadunt, & velut spongiã exprimunt: nonnulli auaritiã laruã tegunt, & iustitiã titulo conantur honestare. De quorum numero Nobilis iste fuit. Is neminem spoliauit, furatus est nulli quidquam, sed, quod multi sibi fas esse arbitrantur, vsuris duntaxat rem auxit; eo se consolans argumento, quòd hoc pacto multorum mutuo indigentium miserijs succurrat; quòd a volentibus vsuram accipiat, volenti autem iniuria non fiat; quòd utique pecunia pecunijs mereatur compensari; quòd ita multi & alij ditescant viri magni atque honestatis amantes. Ceterum, quia neque doctus, neque valde probus erat, nihil sollicitus fuit, quo titulo, pro mutuo, aliquid possit in censum venire; animus enim auaritiã æger non quæ sana, sed quæ desiderata sunt, quærit: & magnitudo pecuniæ à bono & honesto in prauum abstrahit. Igitur istud axioma illi sufficiebat, tantò se feliciorem fore, quantò plus à debitore extorqueret; etiam ante tempus, & non solùm supra sortem, sed etiam supra mensuram omnem censûs, iustis titulis, concessi. Sic filij huius seculi solliciti sunt de crastino, immo de re præsentis. Verùm *Istuc est sapere, non quod ante pedes modò esto.*

S. Ambros.
serm. 97.

1. Tim. 6. 10.

Iuuenal. Sa-
tyr. 14.

Boetius lib. 2.
de consol.
met. 5.

Videre

*Videre, sed etiam illa quae futura sunt
Prospicere.*

IV.
Deuter. 16. 19
VSVRAE INI-
QVITAS.

Deuter. 15. 8.

Matth. 5. 42.

Luc. 6. 34.

Deuter. 23. 19.

Ezech. 18. 12.

Iuuenal. Sat.

14.

Aristot. 1. 1. de

Rep. c. 10.

Meritò Poëta Plutum cæcum finxerunt: neque enim *munera* duntaxat, *excacant oculos sapientum*, & *mutant verba iustorum*; sed omnis etiam auri argenti que praua cupiditas, quæ vel à mortuo tributum exigit, & sepulchra spoliat, & æquè retinendo, ac accipiendo peccat, etiam cum non videt se peccare. *Amor namq, pecuniarum*, ait S. Chryostomus, *pupillam mentis, quasi quidam malignus humor influit, densamq, nebulam operatur*. Hinc Nobilis iste, non vidit, se opes habere, quibus succurreret gratis necessitati egenorum: neque recordatus est, scriptum esse: *Si vnus de fratribus, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris* (malè enim retinet pecunias, qui se emolliri non finit, vt subueniat indigenti) neque illud Christi in mente habuit: *Qui petit à te, da ei: volenti mutuari à te, ne auertaris*. Et: *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur, vt recipiant aequalia. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa*. Hæc licita est, & longè maior vsura, quàm si *decem, pro centum*, recipias. Sed mali in delicias profusi, in eleemosynas contracti & inhumani nihil agunt virtutis amore; præceptis igitur atque minis coërcendi sunt. Quamobrem etiam mutuacionem pecuniæ, spe vsuræ, vetuit Deus: *Non foenerabis, inquit, fratri tuo ad vsuram pecuniã, nec fruges, nec quamlibet aliam rem*. Ac, per Ezechielem ait, non victurum egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem: *ad vsuram dantem, & ampliùs accipientem*. Est enim vsura *lucrum proneniens ex mutuo, vi mutui*, prohibita lege naturali; nec in veteri lege aliter permessa, quàm in recompensationem bonorum, quæ Iudæi à Gentibus vicinis iustè poterant auferre. In nouo Testamento non canonico tantùm, sed etiam diuino jure prohibetur.

Sed qua reuerentia legum?

Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?

Bion certè auaritiã dixit esse *metropolim improbitatis* Quin etiam certè vel Aristoteles docuit, sicut honesti patrisfamilias est, se & domum

domum alere, agrorum & pecorum fructibus; ita artem cauponariam iure vituperari, non enim ortum habet à natura, sed è semetipsis questum faciunt foeneratores. Et addit: Meritissime foeneratoria ars odio habetur, quia ab ipso numo fit questus, & non seruit, cui primus inuentus est; permutationis enim gratia extitit: fenus autem ipsum copiosorem facit. Vnde & nomen hoc (Τόκος) natum est: similia enim, qua pariuntur, sunt gignentibus ipsa. Fenus autem est, cum paratur numo numus. Quare omnium questuum hic est maximè præter naturam. D. Ambrosius etymon ab adiuncto dolore amplificat: Τόκος, inquit (seu partus) Græci appellantur vsuras, eò, quòd dolore partus animæ debitoris excruciare videantur. Veniunt calendæ, parit fors centesimam: creuit centesima, petitur, nec soluitur, applicatur ad sortem. Itaq; non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fenus centesima, sed fenus centesima. Fœnus Latinis quasi fetus dicitur. At pecunia non est naturæ talis, vt fœtum producat, sicut ouis, vacca, equus. Accedit ad hanc iniustitiam & dolus, & modus. Anarus, ait S. Basilus, videns inopem necessitate coactum ad genua sua supplicem procumbentem, flecti nescius perstat implacabilis, & nec precibus vincitur, nec lacrymis mollitur; iurat insuper, se omnino carere pecunia, & quærere, si quem ipse foeneratorem inueniat, & inhumana mercatura impudens periurium addit. Postquam verò perspicit, miserum illum meminisse foeneris supra sortem, subridere incipit, familiarem & amicum appellat. Videamus, inquit, sicubi relictum est nonnihil argenti depositi. Hac itaq; sommentitia simulatione, ubi inescavit miserum, & litteris obstrinxit, super eo fanore confectis, inde se proripit. S. Ambrosius, post alia multa in foeneratores dicta: Vidi ego, ait, miserabile spectaculum liberos, pro paterno debito in auctiorem deduci, & teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis. & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro alimonia seruitutem recognoscant, pro sumtu licitatione subeant, agitetur hasta de pretijs singulorum, non immerito hasta agitur, ubi caput queritur: non immerito ad auctiorem peruenitur, ubi fors poscitur. Hac est foeneratoris humanitas, hac debitoris stultitia, vt filijs, quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat, pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hereditatis, syngrapham obligationis. Denique tam nefarium scelus est vsura, vt Cato Censorius, rogatus, quid

E

esset

S. Basil. in
Plal. 140.

S. Ambros.
de Tobia. c. 8.

Cic. lib. 2. de
officijs

S. Aug. ep. 54. *esset fenerator? responderit: Quid hominem occidere? & S. Augustinus*
 Matth. 21. 12. *scripserit, trucidari pauperem fœnore: immò Christus fœnatores*
 S. Hieron. in *(quos vsurarios fuisse obseruat S. Hieronymus) mensis, dixit: Do-*
 cit loc. Mat- *mus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam,*
 thæzi. *latronum. Auaritia enim, teste S. Ambrosio, quasi gradus quosdam*
 S. Ambros. de *cupiditatis habet, & quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, unde*
 Naboth le- *fit grauis ruina lapsuro.*
 raclita.

V.
 TIMOR RESTI-
 TUTIONIS FA-
 CIENDAE, IM-
 PEDIMENTVM
 CONFESSIO-
 NIS.

Hoc ergo tantum vsuræ crimen cum sit, tamen à Pluto excæcati multi non vident; sed se excusant, factum eleuant, exempla, & consuetudinem obtendunt, mordicus retinent, nec adduci possunt ad iniusta lucra restituenda, nescio quid falsæ excusationis prætexentes. Nec enim hoc pacto miseris succurrunt, sed ex miseris faciunt miseres; nec vtique volentes habent, sed violentè adactos; siquidem nemo est, qui non mallet mutuam accipere pecuniam gratis, quàm vsuram soluere creditori. Nec, supra sortem, pecunia debet pecunijs compensari: siquidem pondus, non fœnus est reddendum. Quòd autem multi viri magni in seculo, hac arte ditescant, verum est, sed idcirco magna eos manent tormenta: honestos sic opes quærere, falsum est. Quanquam plurimi pro dolor, nunc sunt, qui sua cupiditate excæcati, quidquid vile est, id honestum arbitrantur; & lucri causa non verentur Iudæi fieri ex Christianis: nec restituunt, quod adhamârunt. *Nam itidem vt Acheronti hic ratio scribitur. Introreceptum, quando acceptum est, non potest ferri foras.* Talis fuit Nobilis ille, optimè notus Parocho suo. Quare ab eo non potuit impetrare, peccati huius absolutionem sacramentalem, quia nec ipse adduci potuit, vt ab vsuris desisteret, sed non aliter confitens quàm ad noueræ tumulum flebat. Quid ergo fecit? quod multi faciunt, qui volunt in peccatis & sordibus suis manere: confitentur enim alteri à quo non noscuntur, atque si hunc rigidum experiuntur, iterum iterumque alteri, donec inueniant vel imperitum, vel conniuentem. Non placuit huic auaro Parocho auaritiæ castigato. Tuit itaq; ad aliquem è Societate nostra Patrem; qui itidem, intellecta mutati confessarij causa, dixit: Se eum non posse absoluerè, non solum, nisi ab vsura desisteret, sed etiam, nisi promitteret, se vsurarum omnium facturum restitutionem. Re
 igi-

igitur infecta ab eo discessit, nimis austerum & crudum vocans.
 Adijt alterum, adijt tertium, adijt quartum, ab omnibus idem re-
 sponsum referens dixit: *Omnes Iesuitas esse eiusdem farinae Orbilios.*
 Vlcus adhuc eum vrebat, sed tangi volebat, vt aperiretur in sani-
 tatem. Quare ad aliud se se templum, atque ad alios aliosque sub-
 inde Religiosos contulit, à quibus audiuit icidem, *Neminem esse,*
qui eum, sine imposta restitutione, possit absoluerè, nisi propria salutis pe-
riculose se velit innoluere, & peccati particeps fieri alieni: restituendum,
quidquid acceptum, per usuram; quacunque res sit, siue in se extet; siue
in valore, si non extet: quin & damnum illatum, & lucrum cessans;
quin & expensas, quas mutuans fecisset, in re sua recuperandas; uti & bo-
na propria, deficientibus alijs, & remanente obligatione restituendi: ac si-
ne controuersia, immediatum omne lucrum, quod acceptum esset ultra
sortem. Scabiosus, aut vlcerebus obsitus, grauiter sentit, si quis ca-
 taplasma ei detrahère nititur agglutinatum: ita auarus non susti-
 net à se auferri pecunias, quas habet viscosis manibus accretas. Et
 tamen, velut vlcus, vrunt. Ita auarus neque vitium, neque vitij
 remedium potest pati. *Quemadmodum enim, ait os aureum, sine*
fluctibus mare nunquam conspicitur: sic animos dinitum auarorum,
absque sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis, nunquam repe-
ries; sed antè, quàm priora componant, alia inuaserunt. Quamobrem
 Nobilis iste, cum & scrupulo, conscientiaque acerrimis stimulis
 vellet carere, & tamen lucri inuisti tenax horreret omnem restitu-
 tionis faciendæ mentionem, tam diu circumuagatus est, per Con-
 fessariorum omnium subsellia, & templa, donec tandem inueniret
 aliquem ad gustum suum, vel indoctum, vel libertinum, qui nullo
 discrimine quemcumque, nulla potestate scelus omne absoluerè,
 atque accursum potiùs numerumque confitentium, quàm fructum
 quærere solitaret. Et, Deo iustissimè permittente, inuenit tandem
 vnum, eumque, quod magis mireris Religiosum, qui sibi de acqui-
 sito tam splendido Confessionis filio tacitè plaudens, omni studio
 conatus est, eum ita tractare confitentem, vt apud se retineret; ac
 ne illum ad alios fugaret, aut amitteret, ceteros Confessarios, qui
 eum absque restitutionis promisso absoluerè nolissent, dixit, *ni-*
mis fuisse scrupulosos, & nodum in scirpo quasisse. Apud hunc igitur
 tandem Confessarium mansit; hic summopere ei placuit, hic ei so-

S. Chrysoff.
 hom. 39. in
 Matth.

lus satisfecit; sicut & multis, qui tum demum acquiescunt, quando Confessarium inueniunt, secundum cor suum, non secundum utilitatem aut necessitatem; qui vel tacet ad omnia, ut mutus canis latrare non valens, vel etiam approbat illorum errores, album nigrum, nigrum album vocans, neque medicinam illis salutarem præscribit, ut corpus castiget; ut sapius confessionis remedio utantur; ut tandem absistant, consuetudinemque inueteratam, adhibita sibi violentia, expugnent: ut alienum dominis suis reddant. Nam quidam ab his rebus, quasi à solo Numine toti pendent. Venter enim, aut pecunia, aut Venus & Bacchus est eorum Deus: non quod pecunia mala sit, sed sicut si quis in limpidum fontem sterces iniiciat, totum immundum reddit: ita si dinitias auaritia attigerit omnes fœtere suo corrumpit. Quod & Venus & Bacchus facit.

S. Chrysoft.
hom. 71. in
Ioan.

VI.

QVAM MALA
SIT MALI
CONFESSARII
ELECTIO.

Filij hominum vsquequo graui corde, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Sentitis conscientia intemperiem, videtis vos ægrotare, vultis sanari; & medicum peritum fugitis? quæritis imperitum? Quis, vulnere accepto, declinat chirurgum bonum, & illo utitur, qui vngit tantum, nec sanat ex fundamento? Socratis dictum est, aureus lectus non inuat ægrotantem. Aureum vos dicitis habere confessarium, cur? quia tacet, quia vos sinit versari in vfuris, furtis, odijs, libidinibus vestris. Non est aureus iste, sed vobis videtur fulgere. Fulgor vos decipit; non ducit, sed seducit. Ut Cyclops vel cæcus manum porrigit, & ductum sequitur trahentis; sic vos Confessarius indoctus, aut ipse peccatis excæcatus non in viam, sed in ruinam ducit. Cur cæcum eligitis? cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Quare, non sine causa, dixit Seruator: Attendite à falsis Prophetis. Et, ut S. Leo scripsit: magni laboris est, magniq; discriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates, per vnã sanã doctrinã semitam, inoffensis gressibus ambulare: &, cum undiq; se laquei erroresq; opponant, omne periculum deceptionis euadere. Quid illis fiet, qui bonum ducem fugiunt, malum quærunt? Sinunt se isti à vanissimo quoque per deuia abduci, quid non facient, si habeant ipsum Confessarium erroris fauorem? Hæc sunt vestimenta ouium, mansuetudinis simulatio, & blandimenta verborum, ait S. Hilarius. Nam & Confessarij mali, per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium quoque, quid

Matth. 15. 14.

Matth. 7.
S. Leo ferm.
5. de Nat.

S. Hilar. in
Com. 7. c. 1.
Matthæi.

aut

quid in cordibus non efficient nocentium, & in scelere permanere cupientium? Nempe id, quod inepti medici, qui, dum ægroto omnia concedunt, ægrotum non sanant, sed necant. Quanquam longè peiore euentu id agunt medici spirituales. Corporum medici, sibi ipsis non obsunt, si malas præscribunt & nocituras ægris medicinas. At animarum medici, si sunt imperiti, aut negligentes, & ægros suos perdunt, & se ipsos cum ægris; *cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*, monomachis miseriores. Nempe

Matth. 15. 14.

Non habet euentus sordida præda bonos.

Hoc Nobili, hoc Confessario illius accidit. Quoties enim, vsurarius ille redijt ad confessionem, toties, sine vlla restitutionis impositione, retulit absolutionem. Sed absolutionem verbis expressam, re nullam. Imaginabatur enim Nobilis, se esse absolutum, absolutus non erat. Sicut ille, apud Eustathium, Achæus, Callicon cognomine, qui fictile vas, puluinaris loco, capiti supponebat: verùm quia duritie illius offendebatur, vas paleis impleuit, vt mollius cubaret. Non cubile mollius est redditum, sed stultitia, quod non fuit, fixit. Ad eundem modum Nobilis, non absolutus erat à peccatis, sed, quia eum Confessarius decepit, imaginatus est sibi absolutionem, sicut reus in carcere, quia catenis alligatus somniat, se ijs esse liberatum. Ita *mentita est iniquitas sibi*. Extitit hinc magna inter Confessarium & filium Confessionis animorum coniunctio, familiaritas, amicitia. Nihil Nobili supra Confessarium, nihil Confessario supra Nobilem fuit. Hinc se se mutuò visitare, hinc suauiter vnà fabulari, hinc identidem simul lætissimè conuiuari cœperunt. Vtque libenter Nobilis Religioso huic confessus est, ita vicissim Religiosus libentissimè, apud Nobilem prandit & cœnauit. Nec libentissimè tantùm id fecit, sed & frequentissimè, inter epulas suum lactans conuiuatore verbis, à quo ipse senum lacte reficiebatur. O miseri Confessarij, qui mensæ seruitis, non conscientia vestrorum dominorum! cur animam vestram, quàm offam vestram mauultis perdere? ô miserabiles confitentes, qui animæ vestræ salutem Confessarijs creditis, mensam vestram, non conscientiam vestram curantibus! Audite, & respiscite; quicumque ita vel cum Confessarijs, vel cum confitentibus luditis. Aliquamdiu durauerat hæc filij spiritualis, & spiritualis patris iucunda conuersatio:

VII
CONFITENTIS
MALE, ET MA-
LE CONFES-
SIONEM AUDI-
ENTIS TRAGE-
CVS EXITVS.
Eustathius
Odyss.

Psal. 10. 12.

satio. Gaudebat vterque; Nobilis immunitate, Religiosus commensatione. Sed, vt omnium rerum est finis; & quædam, in diuinis consilijs, decreta est mensura peccatorum, ita hîc quoque cœlestis iudex non censuit ampliùs indulgendum. Quodam die constituerant, lætissimè inter se se agitare. Conuenerant vesperi. Considerabant, gaudebant. Volabant ioci, ambulabant fercula, ibant in orbem scyphi, & crateres Falerno spumantes: nemo videbatur in orbem toto illis lætior beatior. Hoc viuere esse dicebant; & nesciebant, quid sequens hora ferret. Nocte jam multa, post lautissimam cœnam, Nobilis conuiuas soluens, in lectum concessit, Religiosus in monasterium se recepit. Vix & ipse se se ad somnum composuerat, cum ecce inopinatò vernæ adsunt duo, ad fores cœnobij, qui impotenter pulsant, iubentque actutum januam referari. Ianitor, ex habitu eos cognoscens, è Nobilis vtique familia ratus, per fenestellam maculâsque portæ ferreas, interrogat, quid id noctis tam ferò ac intempestiuè velint? Aiunt, rem incidisse necessariam, Nobilem repentè malè habere cœpisse, grauitè cum morbo, & ferè etiam cum morte luctari, velle sibi sine mora adesse eum, quem à Confessionibus haberet. Currit ianitor, atque è prima quiete excitat somno vinòque semisopitum Patrem, jubetque vehementer festinare; periclitari dominum, moram omnem esse detrimentosam. Proripit ille attonitus se se; &, iniectis tumultuariè vestibus, quod reliquum est, in via nectit, socio comitante, duobusque, qui eum euocauerant, latera cingentibus. Dum per forum transeunt, videt religiosus, ad lucentis Lunæ semiplenum lumen, Nobilem illum suum Conuiuatore, in talarî nocturna toga, magnificè obambulantem. Quo conspecto, ioci causa, intempestiuè delusum se arbitratus, cœpit cum ductoribus amarulentiùs expostulare, vt qui aliud ludendi genus non habuissent, quàm vt Confessarius ridiculi esset argumentum; alios fuisse, quibus os sublinerent, si ea nocte comœdiam vel dare, vel spectare voluissent. Hæc, dum diceret, atque alia, quæ subitus impatientiæ calor suggessit, adfuit ipse, atque stetit ante illum Nobilis, vultuque plus quàm truculento, ita eum est affatus: *Nihil hîc fictum, aut ioco actum existima. Non tantum agrotavi, sed & vixi. Mortuus tecum loquor, & heu, aeterna damnatione flammis adiudicatus, Cœpi ardere, ardeo, & ardebo semper, sine ullo*

ullo sine tormentorum. Idq̄, inſte patior, quia merui uſuris meis, & illo nimis profano & ſacrilego uſu ſacramentorum. Tu verò, infeliciffime ſacerdos, & improbiſſime Religioſe, cuius erat, mihi ueritatem dicere, de uitijs increpare, extrahere ex uſuris; conuiuere, indulgens & clemens, & meam cauſam agens uideri maluiſti; itaq̄, peccantem confirmàſti. Par eſt igitur, ut ſclerum meorum particeps, etiam particeps ſis meorum ſuppliciorum. Hæc ubi dixit, duo uernæ in Auernales cacodæmonum, laruas conuerſi, vnus Nobilem, alter Religioſum, comprehenſos, per aërem, ad Acherontem, auexerunt. Solus ibi tam luctoſæ tragœdiæ ſpectator relictus eſt Confessarij ſocius, totus rei atrocitate attonitus, ac præformidine ſemianimis. Animo tamen poſtea remigrante, ac uiribus reſumtis, nullo Confessario redeunte, incomitatus ad Monafterium reſreſſus eſt. Ibi, quo ſuo, ac Superioris dolore, qua totius conuentus deiectione ſcenam tam tragicam enarrârit, ego dicere non poſſum, uobis relinquo cogitandum.

Qui utique, hac hiſtoria audita, mirari deſinetis, ſi quos Dei ſeruos auditis, ad eò refugere à nonnullorum diuitum confeſſionibus audiendis; ſi uideatis illos malle audire ex agro uenientes ruſticos, aut fuligine obſitos opifices, aut uiliſſimos de paupertina tribu mendicos; quàm eos, quorum ueſtis pretioſa, anima diabolo uendita, & mille titulis Orco obſtricta: neque agrè feretis, ſi quis Confessarij, ne ueſtra peccata approbare uideatur, & ipſe innocens ueſtris delictis damnetur, ſincerè pronunciet: Non poſſe ſe abſoluere obſtinatos: ueniam non eſſe, niſi ſe ſe emendaturis. *Fili hominis*, ait Deus per Ezechielem, *ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: & audies de ore meo uerbum, & annunciaſis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuncianeris ei, neq̄, locutus fueris, ut auertatur à uia ſua impia, & uiuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Hæc eſt Confessarij obligatio, cuius officium non exigit tantum ut ſoluat, ſed etiam ut quandoque liget. Quis igitur agrè ferre poteſt, ſi facit, quod officium ab ipſo requirit? quod Deus ipſe, cum tanta comminatione præcipit? Diſcetis etiam, non quærere Confessarios indoctos, laxos, indulgentes, omnia diſſimulantes, ne *cacus, ſi caco ducatum præſtet, ambo in foueam cadant*. Si calceos emere uultis, optimum aditis ſutorem; ueſtem nouam confici cupitis, quæritis, ubi ſit optimus ſartor;

VIII.

CONFESSARIJ,
ET CONFITENTIS
CURA ET
DELECTVS.

Ezech. 3. 17.
& c. 33. 7.

Matth. 15. 14.

In vita S. Lu-
douici.

Sales intro-
duct. ad vitā
piam 1. p. 64.

IX.

VSURARIO-
RVM MALVS
EXITVS.

Luc. 12. 20.

Baruch. 3. 17.

Thom. Can-
tiprat. lib. 2.
Apum. c. 3.

fartor; si diuertere de via statuitis, in optimum hospitem inquiritis; si venam vobis vultis aperiri, chirurgum optimum indagatis: animā medicum videtis vobis esse necessarium, & si quem accuratum experimini, declinatis, atque ad omnium luridissimum acceditis, nonne hoc est, perire velle? Sanctum consilium Gallia Sanctus rex, è vita migraturus filio suo dedit istud: *Fac idoneus tibi sit conscientia arbiter, cuius prudentia doctrinaq; in omnibus semper tutus sis.* Quā in rem Auila: *Confessarium elige unum ex millibus.* Immo inter decem millia, ait Sales Episcopus, *dici enim non potest, quanta sit ad excipiendas confessiones idoneorum inopia: si ex his tribus, charitate scilicet, doctrina, & prudentia, vel unicum in aliquo desideretur, est periculosa res plena alee.* Conscientiæ morbus nec simulando sanatur, nec dissimulando. Qui sapit ergo, exemplo se sinat doceri. Optimum est, aliena insania frui.

Sed ad radicem huius mali veniamus: auaritia radix omnium malorum, etiam hīc caussa est, vt re aliena inquinati, & reddere nolentes, quod iniquis modis acquisuerunt, vel non sincerè confiteantur, vel Confessario prudenti non obsecundent. Hinc, vt peccatum peccato addant, etiam Sacramento Confessionis abutuntur, & malunt gratia Dei, quā pecunia carere. Hinc ipsa illis Sacramenta sunt in damnationem. Abusu enim eorum merentur, vsu priuari; ac sine fructu illorum ex hac vita exturbari. Et sæpe quidem repente, ac violentè, iuxta illud: *Stulte, hac nocte, animam tuam repetunt à te, qua autem parasti, cuius erunt?* Quod ferè contingit, quoties homines in hac rerum cumulandarum auaritate senes moriuntur. Cū enim cetera vitia, senescente homine, senescant, sola auaritia iuuenescit, & quò annosior, eò est pertinacior; vt vita citiùs quā illa deseratur. Non immeritò querit Baruch; *Ubi sunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Quemadmodum Nobilis supra dictus. Qui nec primus, nec vltimus fuit, cui istud euēnit. *Vidi & ego ipse, in Brabantia finibus, ait Thomas Brabantinus, usurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exheredauerat, & pauperes spoliauerat supra modum. Hic frequenter occurrens Religiosis, rogabat quasi cum lachrymis, pro se orari; sed in nullo penitus se correxit. Cumq; super hoc eum frequentius arguissem, nec tamen in aliquo profecissem, accidit,*

cidit, ut repentina infirmitate correptus, ad exitum propinquaret: & ecce, subito duo ingentes tenebrarum canes lectum incertis circuitibus ambiebant. Ipse verò protracta lingua, ad longitudinem prope pedis delibescens horribiliter expiravit. Quod si non fatis est, addit S. Bernardinus Senensis alterum: Legitur, inquit, de Usurario quodam, quod post splendidam cœnam, cùm dormiret in lecto cum uxore sua, subito expergestus exilierit de lecto. Cùm autem ab uxore sua, quid haberet, interrogaretur, ait: Modò raptus fui ante iudicium Dei, ubi tot, & tam terribilia sunt opposita contra me, quòd nec scivi, nec potui respondere: cumq; fuerim diu ad pœnitentiam expectatus, nec huc usque volui divinis præceptis & bonis inspirationibus obedire. Audivi nunc iudicem, contra me sententiam protulisse, meq; datum audiui potestari demonum, qui me hodie ad aterna supplicia asportare debeant. Quo dicto, de pertica vili veste assumpta, domo, rabido cursu egressus est: quem sui hinc inde quærentes, in quodam monasterio monachorum matutinum cantantium inveniunt. Cunctis igitur eum ad pœnitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, ratione, aut exhortatione, vel precibus, custoditus est diligenter, usq; ad sextam horam. Denique, cùm eius consanguinei domum illum reducere vellent, & ad quendam fluvium, per cuius pontem transituri erant, pervenirent: viderunt navim quandam, rapido cursu ascendentem, à nullo, ut videbatur, conductam: sed ab usurario plena demonibus visâ est, qui, ut ait, idè venient, ut eum ad aterna supplicia asportarent. Quo dicto, statim violenter de manibus eorum, a demonibus rapitur, & in navim projicitur, & cursu rapido retracta, subito disparuit, cum demonibus, & prædâ, præfata navis. Si, ne dæmonibus quidem & navì Charontis sibi paratâ alpectis, iste ad pœnitentiam confugit, facile intelligi potest, quanta difficultate, avari ab hominibus ad confitendum, & restituendum adducantur: apud quos plus ponderis habet aurum, quàm cœlum. Qua de re tertium hoc exemplum è Luca Pinello libet apponere, de homine admodum pecunioso. Huic ægrotanti, cùm à medicis mors in propinquo esse denunciaretur, ingens cura cum metu iniecta est. Agglutinator enim divitijs animus, totq; temporalibus bonis profundissimè immerfus, inusitata anxietate, perspicuè ostendit, verè dictum illud: *O mors, quâ amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* Accepro enim nuncio mortis, dici non potest, qua deferendarum opum

S. Bernardin.
Senens. serm.
43. art. 3. c. 3.

Luc. Pinellus
lib. 1. c. 5. de
altera vita.

Eccli. 41. 4.

solitudine, quanto animi cruciatu, quot suspirijs ex imo pectore ductis, sese in lecto huc versarit & illuc, identidem etiam, iracundi leonis in morem, irrugiens. Hoc tam triste spectaculum praesens intuitus noti nominis scriptor Robertus de Licio, ex Christiani hominis officio eiulantem iussit lamenta omittere, atque deposita nummorum omni cura, sicut antehac corporis commoditatibus prospexit, ita nunc etiam animae suae salutis providere. Orandi nunc tempus esse & futurum iudicem Deum conciliandi, non cogitandi de pecunijs, mox necessariò deferendis. Surdo citius salutaria persuaseris, quàm avaro. Quasi nihil audisset iste miser, ita bene adhortanti respondit nihil. Secum autem ipse, in hunc modum, clara voce, est locutus: *Heu quanto labore, quot curis, quàm magna industria diuitias istas mihi coaceruavi, & nunc ad alienas deueniunt manus? Ego sudavi? ego adeptus sum? ego genium meum defraudavi? & nunc alij prodigè fruuntur, qui mihi gratias non agent, immo insultabunt? Hei me miserum! hei infelicem!* Sic querelas iterantem Robertus de Licio, robustioribus verbis commonendū ratus, etiam atque etiam rogauit, ut hæc vana mitteret; pecuniam non pluris, quàm animam faceret, exclusaque omni de rebus caducis cura, de futuris, deque æternis rebus cogitaret: cœlum auro præferret; & vel inuito animo deferenda, sponte defereret, ne & cœlestem thesaurum amitteret, & ad æternam, in inferno, omnium optabilium rerum egestatem cœcus properaret. *O quàm difficile est, confidentes in pecunijs in regnum Dei introire!* Instabat mors, imminabat iudicium terribile Dei. Supplicij sempiterni præsentissimum erat periculum, non deerat, qui hæc auribus eius ingereret. nihil omnia fiebant. auro excæcatus nihil aliud aspicere, auro exfurdata aures nihil aliud audire; auro plenus & ebrius, nihil aliud loqui volebat. Itaque, exclusis alijs omnibus cogitationibus, perpetim inter acerbissima suspiria, clamitabat. *O thesauros meos! ô pecunias meas! ô bona mea! ô diuitias meas! Cuiam vos relinquam? quis vos acquireret? quis possidebit?* Hæ voces vltimæ illius fuerunt; ut, sicut alij, qui *ducunt in bonis dies suos, in puncto, à gaudijs, ad inferna descendunt*; ipse Acherontis supplicia, ab huius vitæ eiulatu inchoaret. Possem & quartam adijcere historiam, quàm anno præcedente 1644. primùm in Venetijs, primario viro, ac admodum seni consigisse, mihi ex aula

Oenipon-

Marc. 10. 24.

Iob. 21. 13.

Oenipontana scriptum est, additumque *haberi illam ab auctore fide dignissimo, & aliorum relatione, mihi iam plus confirmatam & certissime creditam.* Sed malo illam audire ab alijs, quam alijs narrare, nondum satis enodatè recensitam; quamvis luculentè ostendat, quo exitu Confessio differatur, vel profanetur.

Publiana sententia est: *Avarus, nisi cum moritur, nil rectè facit.* Cuius dicti sensus est, eum, qui sese pecuniæ studio addixit, nulli commodum esse, dum vivit; solam illius mortem hæredi voluptatem & emolumentum adferre. Sed horum avarorum mors emolumentum etiam non hæredibus affert. Ex eorum enim poena satis manifestum est, quàm seuerè Deus puniat sacrilegos eiuscemodi confitentes, & quò usura hominem pertrahat. Quanquam facilè prospicio, quid mihi plerique sint obiecturi: nempe Hæc nihil ad se pertinere; paucos nunc, Pamphili furtum imitari, paucos cum Alexandro Asiam metere, paucos tegere culmos cum Antigono; paucos usurarios reperiri; ad illos eundem: illis hæc talia occinenda esse. Quibus respondeo. 1. Cum Horatio lib. 1. ep. 1. *Multis occulto crescit res fœnore,* quia constat, varia esse genera usurarum; alia enim *formalis & aperta,* alia *virtualis* siue *palliata* est; itemque, alia *realis,* alia *mentalis.* Quæ si diligenter perpenderentur, multos offenderent, esse hîc inquinatos. Quoties enim fiunt pacta obligantia ex iustitia, ad dandum aliquid pecunia æstimabile, ultra fortem ex vi mutui? quoties pactum initur, ut mutuarius teneatur facere aliquem contractum, cum mutuante; vel præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu; vel facere aliquid turpe, pretio æstimabile; vel dare officium, privilegium, exemptionem ab aliquo onere, vel ut dimidium recipiat in mercibus, vel ut tempore messis reddat triticum pretio currente &c. Nonne hæc sunt usuraria? Sunt. Sed excusatur usurarius, ut

Nimirum insanus paucis videatur, eò quòd

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

2. Multi filij sunt ab usura alieni, sed usurarios parentes habuerunt. Hæres verò tenetur ad usuras defuncti, si relicta hæredi satis sint ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam; si verò hæres succedat etiam in crimine usurarij, tenetur in solidum, ex persona etiam propria, tanquam cooperator usurarum, quæ ab

XII.
MVLTOSSSSE,
QVI VSVRIS,
VEL ETIAM
GRAVIOREVS,
CONTRA IV-
STITIAM, PEC-
CATIS OB-
STRACTI NON
RECTE CON-
FITENTVR,

Horat. lib. 2.
Satyr. 2.

ipso acceptæ essent post mortem. 3. Demus, te esse ab omni vsura alienum; demus non esse furem Argium; sed auaritia te aliò impulit, atque in longè grauiora & apertiora. Vsura quædam, etsi iure diuino prohibitæ, tamen iure ciuili permissæ fuerunt, quædam etiam approbatæ. Et sunt multa quæ ab vsura excusant, si, non titulo mutui, sed ratione *lucris cessantis*, aut *damni emergentis*, aut titulo gratitudinis, vel amicitia quippiam accipiatur; nihil tamen omnium est, quod à rapinis prædones, à furtis lauerniones excuset.

4. Quot fraudes in emtione venditioneque committuntur? quoties pretia rerum augentur? quoties pondera, mensuræ, numeri minuuntur? *Deuter. 25. 13.*

Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. pondus & pondus habebis iustum & verum, & modius aqualis, & verus erit tibi. ait Dominus

O quoties audimus, diuersa pondera, & diuersa pretia earundem rerum? Quod denario venditur, si ciuis est, duplicatâ pecuniâ venditur studioso litterarum, aut peregrino, vt plures lædantur. nempe & studiosi, & parentes studiosorum, & quotquot id audiunt peregrini. Addo, & istos ipsos fœneratores lædi; qui nunquam opulescunt, licet quotannis, incredibilis summa pecuniarum in eiuscemodi urbem inferatur, quæ, quò euanescat, non apparet, nisi quia, quod iustitiâ caret, caret etiam diuina benedictione.

5. Quoties solutiones debitæ differuntur? dissimulantur? penitus obliuine inuoluuntur? an ideò non debes, quia alter non exigit? aut quia non meminit, idcirco putas etiam Deum debiti tui non recordari?

6. Inter ipsum ludum, quot fraudes admittuntur? quot mendacijs circumueniuntur collusores? quoties chartæ miscentur in præiudicium aliorum? ne dicam quantæ superstitiones & quot pacta diabolica intercurrant. Non enim nominabo, ne videar docere, quod refuto. Certè multi sunt, qui arte inæquales, vel minis, vel importunis precibus inducunt ad ludendum, quos victos habent antè, quàm ludere incipiant. Quid est hoc aliud, quàm in terra iacentem, & sese defendere non valentem spoliare?

7. Quanti sunt, qui, præsertim hoc tempore, scienter emunt pecudes abactas, aut alias res alienas? qui seruant donata, ab eo, quem sciunt furem esse manifestum?

Isa. 1. 32.

Socij furum sunt isti, & iam patibulo initiati; qui si scirent, per eiusmodi furta dignos fieri homines, vt etiam amittant,

cant, quæ iuste possederunt, non utique tam obstinatè aliena retinerent. Plurimi ad Lauretanam ædem peregrinati sanitatem reportarunt: quidam sanus, inde è muro sacro lapidem abstulit, & ægrotare cœpit. Ita nonnulli exitium sibi furantur & extremam paupertatem in furtivis opibus acquirunt. Quid impetrabis, si rosarium oras, quod tuo vel alieno furto acquisuisti? cur enim manus ad cælum extendis? ut ores, an ut eas ostendas furto inquinatas? illum libellum legens, quem alteri subduxisti, seuerissimum vis placare iudicem furum? Non est enim Deus noster, sicut qui *viduus pharetra risit Apollo*. 8. Ah quid dicam, quoties famuli? quoties ancillæ esculenta, poculenta subducunt? Mittitur in cellam seruus ut domino vini haustum afferat, qui domino vitrum, sibi cantharum implet? nec rarò coqua è culina cellam facit. Nam si vel semel ad dolium mittitur, sibi pro sex diebus providet. Ars est, quæ etiam sub inuersis ollis vinum condit. Nihil dicam de pane, de butyro, de lignis, de candelis, de alijs rebus ad vicinos, vel cognatos, vel amafios amafiasuè asportari consuetis. 9. Quid de ipsis filijs & filiabus canam? quoties non iam poma, pyra, aliaque bellaria, sed pecunias suis parentibus subducunt, & arbitrantur, se furti reos non esse? Addam, quod pauci confitentur, & multi quotidie perpetrant, multos liberos perditissimè prodigere otio, ludis, compositionibus, quod eorum parentes, magnis sudoribus, vix tandem comparserunt. Quid isti aliud faciunt, quàm si parentes compilarent? 10. Non esset finis, si fractores fenestrarum, familiares cultorum, chirothecarum, & stropholorum fures; & damnorum innumerabilium illatores; si eos, qui salarium accipiunt, & officio non satisfaciunt, ut sunt pædagogi, præfecti, operarij, ministri varij; si eos, qui gabellas, qui vestigalia iusta defraudarunt; qui Ecclesiæ decimas non dederunt, qui operarijs mercedem distulerunt, aut diminuerunt; aut qui consilijs aliorum commoda auxilijsuè impediuerunt, velim commemorare. Nam, teste Aristotele, *aleatores, & fures, & latrones omnes auari putandi sunt, quod in turpi questu sunt occupati*.

Aristot. lib. 4.
Ethic. c. 1.

*Nec minor in campis furor est, emtiq; Quirites
Ad pradam strepitumq; lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia patrum.*

Petron. Arb.
in Satyr.

F 3

Est

*Est fauor in pretio, senibus quoque, libera virtus
Exciderat, sparsisq; opibus conuersa potestas,
Ipsaq; maiestas auro corrupta iacebat.*

Aristot. loc.
cit.

Cic. pro
Quintio.

Luc. II.

XIII.

Polydo lib. 8.
hist. Anglic.
EXEMPLA FA-
CTAE RESTI-
TUTIONIS.

Hoc de Romanis olim dictum est, vtinam nunc non etiam dici posset de Germanis! deque alijs etiam Christianis! Prætermitto & alios. *Nam qui magna, & à quibus nefas est, accipiunt, ait Aristoteles, quales sunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiunt: ij non avari, sed scelesti potius, impij & iniqui sunt habendi;* quamuis horum criminum radix sit cupiditas. Quia, vt M. Tullius ait, *Nullum est officium tam sanctum, atque solenne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat.* Hi omnes, si vel penitus à Confessione abstinent, vel hæc talia, in Confessione tacent; vel iniuste accepta restituere iussi non restituunt; vel Confessarium quærunt, à quo dissimulantes prætereantur; an non Sacramento diuinissimo sacrilegè abutuntur? an non digni sunt, qui cum Nobili, & (si talem quoque habent Confessarium) etiam cum Confessario, in Tartarum abripiantur? Taceo detractores, qui vel non agnoscunt; se ad ablatum honorem restituendum obligatos; vel non confitentur hoc piaculum, vel ad restitutionem faciendam admoniti, non parent; quia à dæmonio vel *muto, vel surdo* possidentur, supplicijs æternis authorati.

Certè si scirent mortales, quantos Orco triumphos pariat inordinata habendi voluntas, vltro omnia restituerent, quæ titulis iniustis scirent se interuertisse. Eduardus III. Angliæ rex magnis tributis populum grauabat; seque, gemente populo, collectis pecuniarum aceruis, solebat eximie oblectare. Quodam igitur tempore, vt ei iucundum facerent spectaculum, collectores & accipitres pecuniarum ingentem auri argentiq; vim comportatam vndique, ante oculos illi exposuerunt. Ad quam cum voluptate intruendam inuitatus, vidit quidem thesaurum, sed simul etiam aspexit, circa eum, Acheronticæ monstrositatis cacodæmonem, cum magno tripudio, ludentem & saltitantem. Quo viso, illico horrorem concepit iniquæ pecuniæ retinendæ. Iussit igitur extemplo eam è conspectu suo amoueri, atque viritim illis reddi, à quibus fuerat extorta; satius esse existimans animam, quàm pecuniam perdere, Zacchæum nō modò in auaritia, sed etiam in pœnitentia imitatus. Quid, diuites, facitis? cur non, sicut ingeniosi estis ad pecuniam

cuniam, ita & solliciti estis, ad pœnitentiam faciendam? Vobis lachrymantibus, Angeli gaudebunt, diaboli flebunt; qui, si viderint vestros hamatos vngues, piceatas manus, tenaces oculos & alienam in arca monetam, latos agitant triumphos. Quid enim supplicij non impendet illis, qui egentibus non solum nihil largiuntur, sed etiam auferunt sua; si illis pœna est præparata, qui vel de sua substantia inopiam patientibus non succurrunt? B. Albertus Besutiana familia oriundus, prima ætate vsuris deditissimus, totus in eo erat, vt alijs sua eriperet, nihil daret. Hic aliquando, in lacu Verbano nauigans, infesto Aquilone fluctus excitante, de vita est periclitatus. Cur id fieret, non diu illi fuit cogitandum. Nam vnà & sibi pereundum esse vidit, & diuitias iniuste congestas amittendas. Quamnis igitur animus illi ad opes erat vehementer alligatus, tamen illas censuit libentiùs esse proijciendas, quàm vitam. Voto itaque se obstrinxit, se, si viuus & incolumis ex hoc discrimine euaderet, omnia serò emendaturum. Euasit, domum redijt, bona sua pauperibus distribuit, vxoriq̃ue persuasit, vt in monasterium ingrederetur: ipse in montem inaccessum se reptando contulit; vbi diu, dimisso per funem corbe, à transeuntibus, postea ab ipsis Angelis pastus est; donec Anno Christi 1369. tertio Septembris die, sanctè moreretur, ac miraculis ostenderet, longè vtiliùs pecunias in egenos spargi, quàm, domi in arcis, coaceruari; quæ frequenter in perniciem ipsius domini conseruantur. Quia, vt D. Ambrosius monet. *Non maioris est criminis, habenti tollere, quàm cum possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quàm tu in terra fodis. Tantorum scias te inuadere bona, quantis posses prestare, & nolis. Non sunt bona hominis, qua secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.* Quin idem ferè dixit Poëta, cuius hæc sunt:

Cur eget indignus quisquam, te diuite? quare

Templa ruunt antiqua Deum? cur, improbe chara

Non quidquam patriæ tanto emetiris aceruo?

Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, ait S. Cyprianus, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fannus augere: quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mere-

Ferrar. 3.
Septemb.

Horat. lib. 2.
Satyr. 2.

XIV.
REMEDIA
CONTRA IN-
VSITATA LV-
CRA.

Pfal. 88. 31.

S. Chrysoft.
hom. 51.S. August. in
Pfal. 128.S. Chrysoft.
hom. 57 in
Matt. 21.S. Chrysoft.
hom. 5 de
Auaritia.

Pfal. 75. 6.

Laert. l. 4. c. 7.

di meremur? cùm iam pridem premonuerit, ac dixerit censura diuina: si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustificationes meas profanauerint, & precepta mea non obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Hæc qui fugere volunt, fugiant auaritiam, adeant Confessarium, confiteantur, restituant per vim aut fraudem ablata, vtantur pecunijs, non ad vsuram, sed ad cœlestem coronam emendam. Ea de causa pecunijs abundas, ait S. Chrysostomus, vt paupertate homines liberes, non vt in paupertatem intrudas, & verò simulatione solaminis maiores facis arumnas, & liberalitatem vendis fanore. Audent etiam fœneratores dicere, inquit S. Augustinus, Non habeo alud, vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus circa parietem alienum: hoc mihi & leno diceret, emens ouellus ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, vnde viuerent, quia inde se pascere; quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum esset, quia artem nequitie delegerunt, vnde vitam transigant, & inde se pascere volunt, vnde offendant eum, à quo omnes pascuntur. An forte, ait S. Chrysostomus, modi iuste viuendi non inueniuntur? Non sunt agrorum cultus, gregis pabula, armentorum custodia, manuum operatio, solers rerum tuarum cura? Quid insanis, quid cœspitas agriculturæ spinarum occupatus? Nunquam deest occasio honestè se alere volenti. Ex lege diuina agit, qui in sudore vultus sui vescitur pane suo. At vesana diuitiarum cupiditas est morbus insanabilis, fornax que nunquam extinguitur, tyrannus per orbem longè diffusa. Diuitia ingrata sunt, fugitiua, homicida, crudeles & implacabiles, bestia incurabiles, precipitium vnde quaque praruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum, tyranni acerbè imperantes, nunc quouis barbaro sauior es, inimica, irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæq; nunquam erga eos à quibus possidentur, remittunt similitatem. Indunt compedes aureas. Et, vt opinor, idcirco diuites torquati incedunt, vt appareat omnibus, eos esse vinctos, & catenis alligatos libertatemque perdidisse. Atque idcirco viri diuitiarum vocantur, quia non sunt illorum diuitiæ, sed illi diuitiarum. Hac enim ipsa de causa, cùm Bion de diuitie sordido loqueretur, Hic, inquebat, facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. In compendio, auarus est Tantalus inter aquas, qui

qui poma fugacia captat, nam & ille inter opes est inops; eget in-
 copia; sitit & esurit, cum cellæ & horrea plena sunt, &, ut Timon
 ille dixit, vitam non vitalem viuit. Itaque satius est nullum esse,
 quàm auarum. *Nullum vitium tetrius est, quàm auaritia, præsertim
 in principibus & Remp. gubernantibus: habere enim quæsti Remp. non
 modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.* Iuuenes natura pro-
 fuli hoc vitio minùs tentantur: ac *auaritia senilis vituperanda est ma-
 ximè Potest enim quidquam esse absurdius, quàm quò minùs via restat,
 eò plus viatici quarere?* Aurum lapide Lydio, homines auro proban-
 tur; quod qui potest contemnere; potest cælum emere; qui autem
 adorat, in laqueum diaboli incidit, vnde se difficillimè extricat.
 Quia, ut orator dixit, *auaritia insatiabilis, immensa, & incredibilia po-
 test.* Ita enim *hominum mentes obstrictas tenet, ut eas, nullo tempore, re-
 spirare permittat.* Quin eò impellit, quò canem Æsopicum impulit
 cupiditas; is haud exiguam carnis partem ore gerens, dum vmbra
 eius in aqua captat, veram prædam amisit. Ita futurorum bonorum
 vmbra sunt omnia huius mundi bona, quibus dum mortales inhi-
 ant, coelestia perdunt; qui, sicut hydrope laborantes, quantò plus
 aquæ in ventre habent, tantò ampliùs in perniciem suam sitiunt;
 sapientiùs facturi, si non possessioni augendæ, sed cupiditati minu-
 endæ studerent. Sicut enim *qui metallorum operi traditi sunt, ait
 S. Pater, nullum inde emolumentum, nullas opes consequuntur, sed peri-
 culo magno, atque detrimento suo, alijs laborant, nihil prorsus de sudore,
 de labore, & morte, quàm plerumque obeunt, ad fractum suum inde
 conuertentes: ita & illi, qui non sibi, sed alijs diuitias quarunt, immo &
 his multò miseriiores sunt, quoniam mors doloris finem illis, his, quos ge-
 henna expectat, vera afflictionis initium affert.*

Cic. lib. de
 offic.

Idem in Cat.
 Maiore.

Cic. in Vatin.

S Chrysof.
 hom. 50.

Manil. lib. 4
 Astronom.

*Quid tam sollicitis vitam consumimus annis?
 Torquemurq; metu cacaq; cupidine rerum?
 Aeternusq; senes curis dum quarimus æuam,
 Perdimus, ut nullo votorum sine beati?*



G

CAPVT